



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus IX. Argumentum. Præsentatus habens pinguiorem vocem cæteris
paribus de jure est gratificandus, & præferendus in paritate vocum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

provisiones præcedentes emanaverint cum derogatione medietatis vocum, semper firmum remanet, quòd altera medietas sit penès Titum Livium, ut etiam hodie ingenuè admittebant informantes pro Dominico; & ideo non destruitur fundamentum mox dictum, quòd in paritate vocum debita esset prælatio Joachim tanquam de Sanguine Patronorum; Et tamen ex alio capite neque attendendus esset d. ultimus status, cum enim ex publicis documentis, & probationibus certis constet Titum Livium habere tres ex quatuor vocibus, ut fuit superius comprobatum, & res sit integra, scilicet ante institutionem Dominici, ultimus status in his terminis non suffragatur, cum petitorium absorbeat quàmcumque possessionem, & veniat instituendus Præsentatus à vero Patrono, non verò à putativo, *Rota coram Priolo decis. 113. n. 35., & 36. coram Emerix jun. decis. 1320. nu. 15. in rec. decis. 64. num. 33. part. 13. & decis. 153. num. 6., & 7. part. 18.* Etiam si status anterior non resultet ex re iudicata, confessione Partis, aut Instrumento publico foundationis, quia sufficit, quòd colligatur ex probationibus certis, æquipollentibus dd. tribus modis, *Rota in Bononien. Parochialis super manutentione 26. Januarii 1682. §. Siquidem coram bo. mem. Ursino, & in Colonien. Beneficii 27. Junii 1696. §. Nec magis coram Illustriss. D. Magna Cancell. Mediol.*

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Præsentatus habens pinguiorem vocem, cæteris paribus de jure est gratificandus, & præferendus in paritate vocum.

SUMMARIUM.

- 1 Præsentatus, ut dicatur habere pinguiorem vocem, quot modis contingere possit?
- 2 Præsentatus ab habente pinguiorem vocem cæteris paribus est gratificandus, & præferendus.
- 3 Præsentatus habens vocem privativam, & cumulativam est præferendus habenti vocem tantum cumulativam.

CASUS IX.

SI sint duo Præsentati, quorum unus habeat pinguiorem vocem, cæteris paribus,

quæro quis eorum sit gratificandus, & præferendus?

1 Pro intelligentia hujus quæstionis dupliciter contingere potest, ut Præsentatus dicatur habere pinguiorem vocem. Primum ex eo, quia sit præsentatus à Patrono ratione foundationis, & constructionis, aut instituto hærede in majori parte hæreditatis Fundatoris, cui sit annexum Juspatronatus, & alius sit præsentatus à Patrono, ratione solius dotationis ex. gr. aut instituto hærede in minori parte. Secundò ex eo, quia competente Jurepatronatus pluribus Patronis uti singulis unus ex eis præsentaverit illum privativè, & alius accumulativè, ita ut ipse habeat unam vocem privativam, & unam accumulativam, Compræsentatus verò habeat unam vocem tantum accumulativam. In utroque casu Præsentatus dicitur habere pinguiorem vocem. Hoc posito,

2 Respondeo ad quæstionem. In primo casu Præsentatus à Patrono instituto hærede in majori parte hæreditatis Fundatoris, cui sit annexum Juspatronatus, vel à Patrono ratione foundationis, & constructionis est gratificandus, & præferendus compræsentato à Patrono instituto hærede in minori parte hæreditatis, vel à Patrono ratione solius dotationis; quia Patronus institutus hæres in majori parte hæreditatis Fundatoris, aut Patronus ratione foundationis, & constructionis dicitur habere pinguiorem vocem, & præsentatus ab habente pinguiorem vocem cæteris paribus, nisi alius præsentatus sit de sanguine Fundatoris, est gratificandus, & præferendus, *Lambertin. de jure patron. lib. 2. par. 3. q. 15. art. 16. num. 5., Panimoll. decis. 137. num. 51. Rota decis. 875. num. 2. coram Seraphin., & in Lauden. Canonatus 27. Junii 1696. §. Cessare, & §. final. coram bo. me. Emerix, quæ est inter ejus impressas 1361., & 3. Martii 1697. §. Individuitas coram Eminentiss. de la Tremoille.*

3 In secundo verò casu, in quo Præsentatus habeat unam vocem privativam, & aliam accumulativam, est etiam gratificandus, & præferendus præsentato habenti unam vocem tantum accumulativam, etiam si iste, qui habet vocem accumulativam sit consanguineus, aut idoneior

nior, dummodo non adfit lex foundationis præcipiens præsentari confanguineum. Ratio est, quia habens unam vocem privativam, & aliam accumulativam dicitur habere pinguiorem vocem, immo majorem partem vocum; & ille, qui habet vocem tantum accumulativam, dicitur habere vocem debiliorem diminutam, & non integram, ac proinde primus præsentatus meritò est ab Episcopo gratificandus, & huic præferendus. *Abb. in supradicto Can. X. num. 4. Rocch. de Curt. de jurepatr. verb. honorificum quest. 14. n. 39. Lambert. eodem tract. lib. 2. par. 2. q. 7. art. 13. num. 7. Tiraquel. de jure primogen. quest. 17. opin. 11. num. 5. Vivian. de jurepatr. lib. 10. cap. 1. num. 25. Barbof. de offic. & potest. Episcopi allegat. 72. num. 166. par. 3.*

ARGUMENTUM.

Quando Maritus, & Uxor fundarunt Cappellaniam merè Laicalem, & suos vocarunt confanguineos, an gratificandi, & præferendi sunt, qui sunt ex linea Mariti, vel potiùs, qui sunt ex linea Uxoris, & quid si ille, qui est de linea Mariti sit Laicus, ille vero, qui est de linea Uxoris sit Clericus?

SUMMARIUM.

- 1 Gratificatio habet locum non solum in Beneficiis Ecclesiasticis, sed etiam in legatis piis.
- 2 In consecutione subsidii dotalis relictæ pro Puellis pauperibus, Puella nobiles pauperes an sint gratificanda, & præferenda Puellis pauperibus ignobilibus?
- 3 Puella maritanda an, & quando sit gratificanda, & præferenda Puellæ jam monachata in consecutione subsidii dotalis?
- 4 Relictæ legato subsidii dotalis pro certo genere personarum, illi de eo genere sunt gratificandi, & præferendi.
- 5 In consecutione subsidii relictæ pro sustentatione juvenis in aliquo Collegio, juvenis conterraneus, & consanguineus Testatoris est gratificandus.
- 6 In consecutione fideicommissi Studentibus relictæ, ad effectum ut Studens fiat Procurator, Doctor &c. Studens consanguineus

Pars II.

neus Testatoris proximior, licet non proximus ad Doctoratus gradum, est gratificandus.

- 7 In consecutione multiplici relictæ favore pauperum descendentiæ ex aliqua familia certi loci, pauperes descendentes ex dicta familia, licet alibi habitantes, sunt promiscuè gratificandi cum aliis pauperibus ejusdem familie habitantibus in dicto loco, & num. 11.
- 8 Personæ qualificatae ad formam testamenti sunt admittenda ad participationem multiplici.
- 9 Judex, quæ considerare debet in taxandis subsidiis pro pauperibus.
- 10 Pauperiores in distributione legati facti pauperibus, sunt præferendi minùs pauperibus.
- 12 Descendentia ex quibus probetur?
- 13 Concurrentibus consanguineis Mariti, & Uxoris aequè proximioribus ad Cappellaniam merè laicalem fundatam, aut ad dotem relictam ab utroque conjuge pro eorum consanguineis, præferendus, & gratificandus est consanguineus Mariti, & num. 14. Et quare? num. 15. Intellige ut num. 17. Amplia ut num. 18.
- 16 In consecutione Majoratus instituti per Maritum, & Uxorem præfertur consanguineus Mariti, & quare? Vide n. 20.
- 19 Vocatis a Marito, & Uxore ad Cappellaniam merè Laicalem eorum consanguineis aequaliter, quilibet ex eis gratificari potest.
- 20 Tam Clericus, quàm Laicus, immo etiam femina, sunt capaces Cappellaniæ merè Laicales.
- 22 In consecutione Cappellaniæ merè Laicalis per Maritum, & Uxorem aequaliter pro eorum Consanguineis fundatæ, Consanguineus Uxoris Clericus cæteris paribus est gratificandus, & præferendus Consanguineo Laico Mariti. Et quare. Vide num. 25.
- 23 Clericus est dignior, & major quibusvis Laicis.
- 24 Quando sermo est de Clericis, & Laicis, Clerici semper ex stylo Curia præferuntur Laicis.

CASUS X.

Maritus, & Uxor simul in eodem testamento de bonis propriis utriusque fundarunt Cappellaniam merè Laicalem,

A a 2

scu